Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



nom tuū hom̄ibz q̄s dedisti de mūdo. Hi tui erant et mihi eos dedisti et sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quecumque dedisti mihi a te sunt. Quia verba quae dedisti mihi dedi eis. Et ipsi acceperunt et cognouerunt quia a te exiui et crediderunt quia tu me misisti. Pro eis ego rogo non pro mundo quia tui sunt. Et omnia mea tua sunt et tua mea sunt. Et clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo et hi in mundo sunt. Et ego ad te uenio. Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi ut sint unum sicut nos. Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi custodiui et nemo ex eis perit nisi filius perditionis ut scripturae adimplerentur. Nunc autem ad te uenio et hec loquor in mundo ut habeant gaudium meum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum et mundus eos odio habuit quia non sunt de mundo sicut ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo sed ut eos a malo. Sanctifica eos in ueritate. Sermo tuus ueritas est. Sicut tu me misisti in mundum et ego mitto eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum ut sint et ipsi sanctificati in ueritate. Non pro eis autem rogo tantum sed et pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me. Ut omnes unum sint sicut tu pater in me et ego in te ut et ipsi in nobis unum sint. Ut credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in eis et tu in me ut sint consummati in unum. Et ut cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos sicut me dilexisti. Pater quos dedisti mihi uolo ut ubi sum ego et illi sint mecum ut uideant claritatem meam quam dedisti mihi quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste mundus te non cognouit ego autem te cognoui et hi cognouerunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit et ego in ipsis.

Ad matutinum hymnus. Ecce iam noctis tenuatur umbra qua. Ps. Domine dominus noster quam admirabile est nomen tuum in omni terra. Ps. Quoniam conspiciam celos tuos opera digitorum tuorum luna et stellae quae tu fundasti. Ps. Quid est homo quod memor es eius aut filius hominis quoniam uisitas eum minuisti eum paulo minus ab angelis. Ps. Domine dominus noster quam admirabile est nomen tuum in omni terra. Ps. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in secula seculorum. Amen. Ps. Domine dominus noster quam admirabile est nomen tuum in omni terra. Ps. Ecce iam noctis tenuatur umbra qua